

tiam baptismalem, et aliquid addit; hinc ergo non posset colligi dignitas, et excellentia hujus sacramenti, quod Sancti intendunt; tum etiam quia satis clare loquuntur de perfectione, quam per se confert hoc sacramentum, in quo dari dicunt Spiritus Sancti plenitudinem et robor, ut patet ex Clemente, Urbano, et Cyprian., epist. 27, et singulariter ex Melchiade dicta epist. Ubi interrogatus, quod sit majus sacramentum, baptismus an confirmatio, absolute videtur confirmationem præferre dicens: *Scitote, utrumque magnum esse sacramentum: et sicut unum a majoribus fit, id est, a Summis Pontificibus, quod a minoribus perfici non potest, ita et majori veneratione venerandum, et tenendum est*; et statim multis verbis exaggerat effectum hujus sacramenti; tum denique quia juxta exemplum et proportionem adductam, vir non solum excedit magnitudine puerum, quia ejus quantitatem includit, et aliquid aliud addit; sed etiam quia si præcise comparantur, major est quantitas, quæ viro additur per augmentum, quam data fuerit per generationem. Et Apostolis major gratia videtur fuisse data in die Pentecostes, quam antea per baptismum; ita ergo fieri in hoc sacramento significat D. Thom. infra, art. 44, ad 5, dicens, esse potius effectum hujus sacramenti, in quo datur septiformis gratia Spiritus Sancti cum omni plenitudine sanctitatis, scientiæ, et virtutis, ex Rabano, lib. 2 de Instit. cleric., cap. 30; quem etiam refert, atque eodem modo exponit, et sequitur Magister in 4, dist. 7. Unde superius, quæst. 65, art. 3, via perfectionis dicit sacramentum confirmationis superare baptismum; idem in 4, dist. 7, quæst. 4, art. 1, quæstiunc. 3; et ibi Soto, art. 7, et dist. 6, quæst. 4, art. 6, estque hæc opinio satis probabilis, quamvis incerta.

9. *Hoc sacramentum confert propriam gratiam sacramentalem.* — Ultimo dicendum est, conferre hoc sacramentum propriam gratiam sacramentalem, id est, specialem Spiritus Sancti protectionem et auxilium ad fidem vivam constanter tenendam et profitendam. Ita docent cum D. Thom. omnes Theologi, et colligitur ex omnibus supra adductis ad explicandam rationem institutionis hujus sacramenti; necesse est enim unumquodque speciale sacramentum ad proprium finem ordinari, et gratiam specialem tali fini accommodatam conferre, quæ in hoc sacramento non potest esse alia, vel excogitari.

10. *Quomodo et quando hoc sacramentum det suum effectum.* — *Effectus hujus sacramenti redit recedente fictione, sicut effectus baptismi.* — Potest autem de hoc effectu quæri, quando detur, quamve dispositionem requirat, aut quomodo possit impediri. Ad quod breviter respondetur, in ipsa susceptione sacramenti dari hunc effectum quasi in radice, vel (ut sic dicam) dari jus ad hujusmodi auxilium; re tamen ipsa dari temporibus opportunis, juxta divinæ sapientiæ dispositionem consentaneam fini hujus sacramenti. Ut autem tunc infallibiliter detur, necesse est, hominem non apponere obicem peccati, sicut in ipsa susceptione sacramenti necessarium hoc fuit ad gratiam ipsam, quæ est veluti fundamentum hujus protectionis et auxilii divini, quia si homo ponat obicem peccati mortalis, fit indignus hoc auxilio, et ineptus, vel indispositus ad finem hujus sacramenti, quia, et fides mortua infirma valde est, et homo in eo statu existens caret habitatore Spiritu Sancto. Statim vero occurrebatur quæstio, an, si homo posuit obicem huic effectui per peccatum, et postea tollat obicem, restituatur effectus, sive obex positus fuerit in ipsa susceptione sacramenti, sive postea in vitæ discursu; sed de hac re satis disputatum est supra in materia de baptismo, ubi affirmantem partem elegimus: neque hic occurrit aliquid addendum.

ARTICULUS VIII.

Utrum hoc sacramentum sit omnibus exhibendum (4, dist. 7, quæst. 3, art. 2, quæst. 2 et 3, et dist. 25, quæst. 2, art. 4, quæst. 2, corp.).

1. *Ad octavum sic proceditur. Videtur, quod hoc sacramentum non sit omnibus exhibendum. Hoc enim sacramentum ad quamdam excellentiam datur, ut dictum est (art. 2 hujus quæst., ad 2, et art. 4). Sed id, quod ad excellentiam pertinet, non competit omnibus dari. Ergo hoc sacramentum non debet omnibus dari.*

2. *Præterea, per hoc sacramentum augetur aliquis spiritualiter in perfectam ætatem. Sed perfecta ætas repugnat ætati puerili. Ergo ad minus pueris dari non debet.*

3. *Præterea, sicut Melchiades Papa dicit (in epist. ad Hispan. Episc., a med. illius, tom. 4 Concil.): Post baptismum confirmamur ad pugnam. Sed pugnare non competit mulieribus, propter fragilitatem sexus. Ergo nec mulieribus hoc sacramentum dari debet.*

4. *Præterea, Melchiades Papa dicit (loco nunc proxime citato, et habetur de Consecr., dist. 4, cap. Spiritus Sancti), quod quamvis continuo transitoris sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen confirmationis auxilia necessaria sunt, quia confirmatio armat et instruit ad agones mundi hujus et prælia reservandos. Qui autem post baptismum cum acquisita innocentia immaculatus pervenerit ad mortem, confirmatur morte, quia jam non potest peccare post mortem. Ergo statim morituris non debet hoc sacramentum conferri; et sic non debet omnibus dari.*

Sed contra est, quod dicitur Actorum 2, quod Spiritus Sanctus adveniens replevit totam domum (per quam significatur Ecclesia); et postea subditur: Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto. Sed ad illam plenitudinem consequendam hoc sacramentum datur. Ergo est omnibus, qui sunt in Ecclesia, exhibendum.

Respondeo dicendum, quod sicut dictum est (art. 4 hujus quæst.) per hoc sacramentum promovetur homo spiritualiter in ætatem perfectam. Hoc autem est de intentione naturæ, ut omnis qui corporaliter nascitur, ad perfectam ætatem perveniat; sed hoc quandoque impeditur propter corruptibilitatem corporis, quod morte prævenitur. Multo autem magis de intentione Dei est omnia ad perfectionem perducere, ex cujus imitatione hoc natura participat; unde et Deuter. 32 dicitur: Dei perfecta sunt opera. Anima autem, ad quam pertinet et spiritualis nativitas et spiritualis ætatis perfectio, immortalis est, et potest sicut tempore senectutis spiritualem nativitatem consequi, ita tempore juventutis vel pueritiæ corporales ætates, animæ non præjudicant. Et ideo hoc sacramentum debet omnibus exhiberi.

Ad 1 ergo dicendum, quod hoc sacramentum datur ad quamdam excellentiam, non quidem unius hominis ad alium (sicut sacramentum Ordinis), sed hominis ad seipsum, sicut idem perfectus vir existens habet excellentiam ad se puerum.

Ad 2, dicendum, quod, sicut dictum est (in corp. art.), ætas corporalis non præjudicat animæ. Unde etiam in puerili ætate potest quis consequi perfectionem spiritualis ætatis, de qua dicitur Sap. 4: Senectus venerabilis est, non diuturna neque numero annorum computata. Et inde est, quod multi in puerili ætate, propter robur Spiritus Sancti perceptum, usque ad sanguinem fortiter certaverint pro Christo.

Ad 3, dicendum, quod sicut Chrysost. dicit in hom. de Machabæis (inter princ. et med. illius, et habetur hæc hom. tom. 4, in fine illius), in mundanis agonibus, ætatis, ac formæ, generisque dignitas requiritur, et ideo servis ac mulieribus, et senibus ac pueris ad eos aditus denegatur. In cælestibus autem, omni personæ et ætati, ac sexui, indiscreta facultate stadium patet. Et in homilia de Militia spirituali dicit (hom. 6 in numero sexdecim hom. tom. 5): Apud Deum scæmineus etiam militat sexus. Multæ namque scæminæ animo virili spiritualem militiam gesserunt; quædam enim interioris hominis virtute, viros æquaverunt in agonibus martyrum; quædam etiam fortiores viris extiterunt. Et ideo etiam mulieribus hoc sacramentum conferendum est.

Ad 4, dicendum, quod, sicut dictum est (in corp. art.), anima, ad quam pertinet spiritualis ætas, immortalis est. Et ideo etiam morituris hoc sacramentum dandum est, ut in resurrectione perfecti appareant, secundum illud Ephes. 4: Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Et ideo Hugo de S. Victor. dicit (lib. 2 de Sacram., part. 7, cap. 3, circa princ.): Omnino periculum esset, si ab hac vita sine confirmatione migrare contingeret; non quia damnaretur, nisi forte propter contemptum, sed quia detrimentum perfectionis pateretur. Unde etiam pueri confirmati decedentes majorem gloriam consequuntur, sicut et hic majorem obtinent gratiam. Auctoritas autem illa (citata in argum. 4) intelligitur quantum ad hoc, quod morituris non est necessarium hoc sacramentum propter periculum pugne præsentis.

DISPUTATIO XXXV,

ET QUARTA HUIUS SACRAMENTI.

DE SUSCIPIENTIBUS CONFIRMATIONIS SACRAMENTUM.

Postquam dictum est de effectibus, dicendum sequitur de causis hujus sacramenti; et quoniam formalis et finalis simul cum essentia et effectu seu utilitate hujus sacramenti explicatæ sunt, solum superest dicendum de subjectiva seu materiali, et efficiente, de qua dicemus in sequenti disputatione; hic ergo agimus de materiali causa, non ex qua sacramentum constat; nam hæc pertinet ad essentiam sacramenti, et explicata jam est; sed circa quam sacramentum versatur, et in qua recipitur; est enim sacramentum veluti

accidens quoddam indigens proprio subjecto, quod potest esse vel necessitatis, vel congruitatis, et utrumque explicandum est.

SECTIO I.

Utrum quilibet homo sit subjectum capax hujus sacramenti.

1. *Omnis homo baptizatus est subjectum capax hujus sacramenti.* — *Obiectio.* — *Solutio prima.* — *Solutio secunda.* — Dico primo: omnis homo baptizatus est capax hujus sacramenti, non tamen is, qui baptismo caret. Hanc posteriorem partem docuit D. Thomas supra art. 6, ubi hoc sensu docuit, characterem baptismi supponi ex necessitate characteri confirmationis, quod est certum ex generali regula, quod baptismus est janua sacramentorum, et character ejus est veluti potentia passiva ad omnia sacramenta. Secundo ex speciali ratione, quia perfectio supponit suum perfectibile, et augmentum supponit generationem. His autem modis comparantur inter se confirmatio et baptismus, ut Patres supra citati docent, qui simul tradunt, confirmationem esse dandam post baptismum. Tertio a simili, vel potius a fortiori, quia Ordo datus ante baptismum non est sacramentum, c. 4, et ult. Extra, de Presbytero non baptizato. Sed objici potest, quod Act. 10, contingit, Spiritum Sanctum visibiliter descendere in eos, qui nondum erant baptizati; illa enim missio Spiritus Sancti, visibilis locum confirmationis habebat. Unde illi leguntur postea baptizati, non autem confirmati. Unde August., lib. 2 contra litteras Parmeniani, cap. 45, et lib. 2 contra litteras Petiliani, cap. 35, illam descensionem Spiritus Sancti comparat cum ea, quae facta fuit in die Pentecostes, in qua fuerunt Apostoli confirmati. Imo Petrus aperte de illis hominibus dixit: *Qui acceperunt Spiritum Sanctum sicut et nos.* Respondetur primo, licet constet tunc datum esse Spiritum Sanctum visibiliter, quantum ad gratiam sanctificantem, et quantum ad aliquas gratias gratis datas, quod tamen illis fuerit impressus character confirmationis, non constat, et ideo illud non potest adduci in argumentum hujus sacramenti, quia ibi revera non acceperunt hoc sacramentum, nec fortasse fuerunt facti incapaces ad illud recipiendum post baptismum, ratione illius singularis doni, quia quamdiu aliquis non habet characterem confirmationis, est capax hujus sacra-

menti, accedente baptismo, etiam si maxima dona Spiritus Sancti prius acceperit, in quibus semper potest magis crescere. Secundo, quia probabile est eos, ad quos Spiritus Sanctus illo modo mittebatur, non fuisse amplius confirmatos, et extraordinario modo recepisse etiam hujus sacramenti characterem, respondetur aliter, illud factum fuisse praeter legem, in testimonium fidei gentium, ut ait Beda in eum locum. Unde Greg. Nazianz., orat. 24, dicit illo facto ostendisse Spiritum Sanctum se esse Deum et gratiae Dominum, qui in quos, et quando, et quantum vult, spirat.

2. Priorem autem conclusionis partem docet D. Thom. in hoc articulo, et est omnino certa. Primo ex usu et traditione Ecclesiae; nam in Actibus Apostolorum legimus absolute et sine limitatione, vel exceptione, Apostolos imposuisse manus super baptizatos; et idem constat ex tota traditione supra adducta, et ex praesente usu. Unde Urbanus Papa, de Consec., dist. 5, cap. 4: *Omnes fideles, inquit, per manus impositionem Episcoporum Spiritum Sanctum post baptismum accipere debent, ut plene Christiani inveniuntur.* Secundo, quia supra ostensum est, specialem Spiritus Sancti promissionem a Christo factam ad omnes fideles extendi; ergo et sacramentum, per quod specialis haec gratia Spiritus Sancti datur. Tertio, quia omnes indigent proprio effectu hujus sacramenti, scilicet, robore et perfectione gratiae, et propter se, quia per se est magna perfectio, et ad excellentiorem gloriam perducit; et propter operationem, et fidei constantem confessionem, ad quam semper oportet hominem esse praeparatum, et armatum, quamvis non semper ejus occasio occurrat.

3. *Nulla est aetatum, sexuum aut statuum distinctio, quod ad confirmationem attinet.* — Ex qua conclusione, et ejus rationibus colligitur, nullam esse in hoc negotio aetatum, sexuum, aut statuum distinctionem; nam, sive sit adultus, sive infans, capax est hujus sacramenti, ille per suae voluntatis consensum, hic absque illo per voluntatem Christi et Ecclesiae; idem dicendum est de viris, et feminis, de sanis aut aegris, de iis, qui persecutionis aut pacis tempore vivunt, ut D. Thom. hic explicat in solutionibus argumentorum. Unde olim omnibus statim post baptismum dabatur sacramentum confirmationis, cujuscumque conditionis vel status essent, ut ex Dionys., Cyril. Hierosol., et aliis supra cita-

tis colligitur, et ex August., tract. 6 in 1 canoniam Joan., dicente: *Quando imposuimus manus istis infantibus, attendit unusquisque vestram, utrum linguis loquerentur;* et de Eccles. dogm., cap. 52, dicit, quando parvuli confirmantur, eos, qui illos offerunt, pro ipsis respondere, sicut in baptismo; et plura ad hoc propositum videri possunt in Waldensi, tom. 2 de Sacram., cap. 55. Ratio vero omnium est supra tacta, quia omnes hi sunt capaces effectus hujus sacramenti, et perfectionis, quae per ipsum datur, et illa indigent. Dices: tamen non omnes sunt apti ad spiritualem pugnam, ad quam per se primo hoc sacramentum ordinatur. Respondetur, omnes esse aptos ut armentur ad pugnam, et ut consignentur per characterem in milites Christi, et perfectionem gratiae habitualis recipiant, ratione cujus habeant paratum auxilium pro tempore opportuno; non enim oportet, ut in actu secundo statim detur; neque enim adultis omnibus semper datur, ut per se constat, et dictum jam est.

SECTIO II.

Quibus expediat, seu deceat sacramentum confirmationis conferri.

1. De tribus hominum generibus dubitari potest, de infantibus, de amentibus et de periclitantibus, seu de his, qui in fine vitae baptizantur, nam de caeteris omnibus nulla est difficultas, supposita sufficiente dispositione ad digne sacramentum hoc suscipiendum, sine qua non solum non decet, verum etiam non licet, hoc sacramentum conferre.

2. *An in infantili aetate sit confirmatio recipienda.* — *Prima opinio.* — *Secunda opinio.* — *Paludan.* — De infantibus ergo nonnulli Theologi censent, expedire magis, ut statim infantiae tempore confirmantur; ita significat D. Thom. hic, ad 2; si tamen attente legatur, non loquitur de infantibus ante usum rationis, sed de pueris, qui ratione uti incipiunt. Nam multi, inquit, in puerili aetate propter robur Spiritus Sancti perceptum fortiter certaverunt pro Christo; universalis autem videtur id affirmare in 4, d. 7, q. 3, art. 2, quaestione. 2, adjungens congruentiam, quod infantilis aetas non est capax fictionis, qua effectus sacramenti impediatur; et ideo certius est, infantem confirmatum recipere effectum, quo pro adulta aetate praeparatur. Idem sentit Bonav. ibi, art. 3, quaest. 4, ad arg.; Richard.,

art. 3, quaest. 2; Gab., art. 3, dub. 7; Alens., 4 part., quaest. 28, memb. 2 et 3; Petrus Soto, lect. 2 de Confirm.; Ledes. hic, dub. 3; et huic sententiae favet antiquus usus Ecclesiae, quem supra retulimus; et addere possumus aliam rationem, quia utilius est homini statim post baptismum confirmari, ut sit perfecte christianus, et magis Christo conjunctus, atque intrinsece dispositus ad perfectionem et meliorem gloriam, si forte in ea aetate moriatur, obtinendam, quod valde humanum est, et moraliter contingens. Aliis vero placet magis expedire confirmationem differri usque ad adultam aetatem, saltem usque ad initium ejus; ita sentit Glossa in cap. Ut jejun., de Consec., dist. 5, ita intelligens textum illum, ubi sic dicitur: *Ut jejunii ad confirmationem veniant perfectae aetatis,* quod Glossa intelligit de aetate, saltem duodecim annorum. Sed in primis textus ille, qui a Gratiano citatur ex Concil. Aurelian., c. 3, et a Burchard., lib. 4, cap. 6, ex Concil. Aurelian., cap. 5, non reperitur in quinque Conciliis Aurelianensibus, quae nunc extant; et praeterea posset aliter exponi, non sistendo in praedictis verbis, sed ea conjungendo cum sequentibus, ita ut non sit sensus, confirmandos debere esse perfectae aetatis; sed ut hi, qui in perfecta aetate confirmantur, jejunii accedant et confessionem praemittant, ut mundi donum Spiritus Sancti accipere valeant. Ac deinde, etiam in priori sensu non videretur exigenda aetas duodecim annorum, ut Glossa illa dicit, quam sequitur Marsil. in 4, quaest. 5, art. 4, dub. 2 et 3; nam minor, v. gr., septennium posset sufficere, quam aetatem ex Theologis requirunt Paludan., quaest. 4, num. 10; Soto ibi, art. 8; Victoria, in Summa, § 48 et 49; Sylvester, verbo Confirmatio divina, num. 4; et hanc partem sequitur catechismus Pii V, et videtur ei favere praesens Ecclesiae consuetudo. Jam enim non confirmantur, nisi, qui in ea sunt aetate, ut intelligere possint, quid erga illos agatur. Unde (ut infra videbimus) post confirmationem confirmatus alapa caeditur, ut meminerit se deinceps pro nomine Jesu contumeliam libenter passurum, ut Concil. Coloniense dicit in Enchiridio, tractans de hoc sacramento; atque ita hanc sententiam approbat aliud Concil. Coloniense, p. 7, cap. 9. Congruentiae pro hac parte adduci possunt, quia, ubi non urget necessitas, major reverentia sacramenti est, ut cum propria fide et dispositione hominis suscipiatur; est etiam major utilitas ipsius hominis, quia majore

gratiam ex opere operato accipiet, si cum propria dispositione accedat. Præterea, cum in hoc sacramento fiat veluti secunda professio fidei, per se videtur expediens, cum prima in baptismo facta sit per alios, ut secunda in hoc sacramento fiat per ipsummet suscipientem. Tandem est conveniens ad vitandum periculum iterationis hujus sacramenti, quia (ut Paludanus ait) inter christianos non tam facile præsumitur aliquis confirmatus, sicut baptizatus; et ideo expedit, ut ipsemet possit suæ confirmationis recordari, et propter hanc etiam causam alapa cæditur, ut aliqui existimant. Et hæc quidem conjecturæ suadent expedire ætatem usus rationis. Quod vero septennii ætas satis sit, patet, quia illa sufficit ad omnes fines prædictos. Item quia puero septem annorum dari potest prima tonsura, ut docet Glossa in cap. unico de Temporibus ordinandorum, in sexto, ubi alia jura ad hoc citat.

3. *Utraque opinio probabilis est.* — Utraque ex his opinionibus probabilis est. Unde existimo, per se loquendo et seclusa speciali Ecclesiæ ordinatione aut consuetudine, rem esse indifferentem; nam pro utraque parte sunt honestæ causæ; et nulla est, quæ plurimum in alterutram partem urgeat. Unde olim potuit esse pia et illis temporibus accommodata consuetudo confirmandi infantes, maxime, quando bis tantum in anno baptizabantur simul infantes cum adultis; et facile poterat Episcopus adesse, qui utrosque confirmaret, quia pauciores erant fideles minorque Ecclesiarum numerus. Sicut etiam olim dabatur Eucharistia infantibus; jam vero non expedit dari. Sic ergo regulariter ac per se loquendo considerata Ecclesiæ consuetudine, magis expedit non confirmari infantes ante usum rationis. Quanquam rationis usu illucescente etiam expedit non admodum illam differre, sed prævenire infantem innocentem prius quam graviter peccare incipiat; et hoc modo conciliabuntur facile omnes congruentiæ adductæ. Dico, autem, per se ac regulariter loquendo, quia ob aliquam gravem causam conveniens esse potest interdum prævenire, et infantem ante usum rationis confirmare, ut si diuturna absentia Episcopi timeretur, aut si infans esset in periculo mortis, juxta ea, quæ in ultimo puncto dicemus. Quin potius addo, non videri in hoc tantam esse, tamque urgentem Ecclesiæ consuetudinem, ut præceptum inducat. Unde, si Episcopus ex sola benevolentia, vel alia simili causa, infantem

confirmaret ante usum rationis absque scandalo, non admodum peccaret.

4. *Qua conditione amentes confirmari possint, qui aliquando sani fuerunt.* — Secundo de amentibus, si aliquando habuerunt rationis usum, nulla est difficultas; ita enim de illis, sicut de cæteris adultis judicandum est; si ergo creduntur esse bene dispositi, non solum possunt, sed etiam debent confirmari, quia nulla est ratio, cur priventur tanto beneficio; est autem ita de illis existimandum, quamdiu non constiterit, eos incidisse in amentiam in statu peccati mortalis; præsumitur enim bonus, qui malus non probatur; neque oportet, ut expresse petierint hoc sacramentum; sufficit enim generalis voluntas, quam unusquisque fidelis habere censetur circa suæ salutis remedia ac beneficia; sicut de extrema unctione infra suo loco dicemus. Si autem sit sermo de perpetuo amentibus, videtur esse nonnulla major difficultas, quam de infantibus, quia cum in illis sit desperatus usus rationis, jam non sunt capaces militiæ spiritualis; ad quid ergo dabuntur illis signaculum et arma hujus militiæ? Propter hoc Soto sequens Marsil. negat hos amentes posse confirmari, quamvis, si confirmentur, sacramentum teneat; unde, cum negat posse, videre intelligere, non licere; idque confirmat, quia Ecclesia non habet consuetudinem confirmandi infantes.

5. *Perpetuo amentes confirmandi sunt.* — Dicendum nihilominus est, hujusmodi amentes non esse privandos hoc sacramento; imo non esse in eis differendum, sicut in infantibus, quia non expectatur status, in quo possint melius disponi; ratio autem est, quia isti sunt capaces sacramenti, et effectus ejus, et nulla est sacramenti irreverentia, quod eis conferatur, cum sint bene dispositi, quamvis non habeant meliorem vel optimam dispositionem; cur ergo privabuntur tanta gratiæ perfectione? Præsertim, cum Sancti dicant, non esse perfecte christianum, qui non est confirmatus; nec refert, quod nunquam sint spiritualiter militaturi, tum quia illud est per accidens; tum etiam quia sine pugna possunt ad præmium militantium pervenire, ut iterum dicitur in puncto sequente. Et hæc sententia colligitur plane ex D. Thom. hic, præsertim ad secundum et quartum. Neque est ulla consuetudo in contrarium, neque de aliis infantibus est similis ratio, ut ex dictis patet; infantes enim non privantur hoc sacramento, sed solum eis differtur, ut commodius tempus

ARTICULUS IX.

expectetur; hi vero, vel omnino essent privandi, quod neque expedit, neque rationabile esse videtur; vel, si privandi non sunt, nulla est ratio differendi sacramentum. Unde potius dicerem debere Episcopos hujusmodi amentes confirmare, nisi aliqua gravis et extraordinaria causa impediatur.

6. *Qui sunt in articulo mortis, non sunt privandi hoc sacramento.* — Circa tertium, de his, qui sunt in articulo mortis constituti, eadem fere est ratio et causa dubitandi, cum ea, quam in dubio præcedente assignavimus; nam ut ait Melchiades Papa: *Etsi victuris necessaria sunt confirmationis auxilia, at continuo transituris sufficiunt regenerationis beneficia, etc.* Nihilominus tamen hujus præsentis dubii resolutio eadem prorsus est, scilicet, regulariter et per se loquendo, hujusmodi homines jam morituros omnino esse confirmandos, quia nulla ratio est, ut per se constat, cur tanto augmento, tantaque perfectione gratiæ et gloriæ jamjam morituri priventur, et quia, licet ratione mortis imminenti non sint pugnaturi, id plane est per accidens, satisque est quod, quantum est de se, sint capaces pugnae, et quod sine pugna possint præmium et mercedem pugnantibus debitam obtinere. Atque hæc est sententia communis Theologorum, cum D. Thom. hic, ad 4 argumentum, et in 4 Sentent., dist. 7, ubi D. Bonav., et alii omnes, quos in primo puncto citavimus, id ipsum docent. Quod autem hoc minime sit in usu, non est, quia non expedit, sed potius quia non potest commode fieri, et cum debita solemnitate; et præsertim, quia (ut in simili dixit Innocent. in epist. 4 ad Decentium, circa finem) *Episcopi occupationibus aliis impediti, ad omnes languidos ire non possunt; cæterum si Episcopus, aut potest, aut dignum ducit aliquem a se visitandum, et benedicere, et tangere chrismate, sine cunctatione potest; quæ verba dixit Innocent. de extrema unctione; habent tamen eandem veritatem, ad confirmationem applicata.* Melchiades autem Papa negat hoc sacramentum esse morituris necessarium, non tamen negat esse valde utile, atque conveniens.

Utrum hoc sacramentum sit conferendum homini in fronte (infra, art. 11, ad 3; et 4, d. 7, quæst. 3, art. 3, quæst. 2; et 4 cont., cap. 60. Et Quodlibet. 11, art. 7, corp. Et Rom. 1, lect. 5, fin., et cap. 10, lect. 2).

1. *Ad nonum sic proceditur. Videtur, quod hoc sacramentum non sit conferendum homini in fronte. Hoc enim sacramentum est perfectivum baptismi, ut supra dictum est (q. 65, art. 4). Sed sacramentum baptismi confertur homini in toto corpore. Ergo hoc sacramentum non debet conferri solum in fronte.*

2. *Præterea, hoc sacramentum datur ad robur spirituale, ut supra dictum est (art. 1 et 2 hujus quæst.). Sed spirituale robur maxime consistit in corde. Ergo hoc sacramentum magis debet conferri supra cor, quam in fronte.*

3. *Præterea, hoc sacramentum datur homini ad hoc, quod libere fidem Christi confiteatur. Sed ore fit confessio ad salutem, ut dicitur Rom. 10. Ergo hoc sacramentum magis debet conferri circa os, quam in fronte.*

Sed contra est, quod Rabanus dicit (lib. 4 de Institut. cleric., cap. 30, in princ.): Signatur baptizatus chrismate in summitate capitis per sacerdotem, per Pontificem vero in fronte.

Respondeo dicendum quod, sicut supra dictum est (art. 1, 2 et 4 hujus q.), in hoc sacramento homo accipit Spiritum Sanctum ad robur spiritualis pugnae, ut fortiter, etiam inter adversarios fidei, Christi fidem confiteatur. Unde convenienter signatur chrismate signo crucis in fronte propter duo: primo quidem quia insignitur signo crucis, sicut miles signo ducis, quod quidem debet esse evidens et manifestum. Inter omnia autem loca corporis humani, maxime frons manifesta est, quæ quasi nunquam obtegatur. Et ideo linitur confirmatus chrismate in fronte, ut in manifesto demonstret se esse christianum, sicut et Apostoli post acceptum Spiritum Sanctum se manifestaverunt, qui prius in cœnaculo latebant. Secundo, quia aliquis impeditur a libera confessione nominis Christi propter duo, scilicet propter timorem, et propter verecundiam. Utriusque autem horum signum maxime manifestatur in fronte propter duo, scilicet, propter propinquitatem imaginationis, et propter hoc quod spiritus a corde directe ad frontem ascendunt. Unde verecundati erubescunt, timentes autem pallescunt, ut dicitur in 4 Ethic. (cap. ult., circa princ., tom. 5). Et ideo in fronte signatur chrismate, ut neque propter